



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Claudii Fleury, Presbyteri, Prioris Argenteliae Et Reg.
Christianiss. A Confessionibus Institutiones Juris
Ecclesiastici**

Fleury, Claude

Moguntiae, 1760

XXVIII. De religiosis virginibus & eremitis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67899](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67899)

gratis aluntur; sin minus, nihil accipiunt. Unde a parentibus & agnatis pensiones petere possunt.



C A P. XXVIII.

DE RELIGIOSIS VIRGINIBUS ET
EREMITIS.

I.

Virgines

FEMINAE religiosæ reguntur ad modum *religiosorum*, quorum regulam, quantum per sexus imbecillitatem licet, sequendam animum induxerunt: ratione arctioris custodiae & virilis imperii potissimum ab istis diversæ. Primis temporibus virgines etiam eæ, quæ solemnî ritu ab Episcopo consecratæ, privatis in ædibus habitant, sola virtute custoditæ. Post gregatim vivere, donec arctissime occludendæ viderentur.

occlusæ

II. IGITUR non nisi extrema necessitate urgente, incendium, pestilentiam, hostem elusuræ, vel aliam domum excitaturæ, aut instauraturæ, & his similia ausuræ, ubi tamen scripta Episcopi venia opus est, e monasterio excedere possunt¹. Mendicantibus permittitur stipem colligere². Ne secretior vita turbetur, sub pœna excommunicationis nemini, ne feminis quidem, ad eas penetrare licet³. Monasteria ruri incurSIONIBUS exposita in *civitates* transferre visum. Habent *oratoria*, in quibus *venerabile & sacrum oleum* custoditur, & sacra peraguntur. Cum exte-

ris non nisi per transfennam loquuntur, nec nisi per rotam quidquam edere aut accipere possunt. De quibus regulæ & constitutiones peculiare sunt consulendæ. Tanta circumspessione imbecillitati sexus succurrere visum, ut, quas pudor non potest, illas necessitas in officio contineat.

- 1) C. periculosum X. de statu regular. in 6. Concil. Trid. sess. 25. Ref. c. 5.
- 2) Statut. Bles. art. 31.
- 3) Concil. Trid. ibid. stat. Bles. art. 4.

III. AD *verbi divini & sacramentorum* habent
administrationem virorum industria opus est. facella-
Eligunt ergo *facellanos*, qui ipsis a confessioni- nos, con-
bus sunt, & ab Episcopo probandi. Eligunt fessores,
& *predicadores*. Quotannis ter quaterve con-
fessionarii extra ordinem mittuntur, quibus
conscientiam liberius nudare valeant ¹.

- 1) Conc. Trident. sess. 25. Ref. c. 10.

IV. PARENT *superioribus & obediunt* superio-
episcopo, saltem, si exemptæ sunt, qua ponti- res,
ficis delegato, qui singulis monasteriis pres-
byterum, vel ejusdem ordinis, vel sæcularem
visitatorem attribuit. Quæ in congregationes
coiere, veluti Cistercienses & mendicantes,
reguntur ab horum ordinum monachis, &
episcoporum auctoritate sprete, *superioribus*
parent generalibus.

V. INTERIORA monasteriorum si abbatis-
spectes, duorum generum superiores habent; fas.
perpetuas alteras, alteras triennales. Illius ge-
neris sunt *abbatissæ*, quarum potestas ex veteri

instituto non nisi cum ultimo vitæ halitu exspirat. Quæ olim electæ, hodie æque ac abbates, a rege nominantur. Quod jus cum *concordato* non nitatur, pontifex in literis confirmatoriis memorat, regem *commendasse*, majoremque conventus partem suffragiis suis ornasse hanc virginem: ut veteris electionis umbra colorque fervetur.

VI. HUIUS generis superiores, quæ vel abbatissæ, vel priorissæ vel aliter audiunt, vetera monasteria reformatæ, & recentiores, etiam mendicantium, congregationes habent. Abbatissas *perpetuas* facilius ad vitium inflecti, atque ad imperium fororibus gravè impelli, compertum est. *Triennales* omnes eliguntur secretis suffragiis, præsentè visitatore, qui ad clathros appositus præsentem electionem confirmat.

VII. ELIGENDAE sunt XL. annos natæ & VIII. professæ, vel minimum XXX. natæ & V. professæ¹. Nostro jure eliguntur, quæ vel X. annos professæ, vel VI. annos officio quopiam claustrali functæ sunt. Eliguntur præterea IV. aut VI. matronæ, annis & moribus graves, quæ superiori in minoribus consilio adsunt; de *majoribus* enim omnes consultant. *Minora* officia janitricum, valetudinariarum, cellariarum, thesaurariarum a superiore conferuntur, adimuntur, aut saltem cum ea extinguuntur.

1) Concil. Trid. Sess. 25. c. 7. C. indemn. X. de election. in 6.

VIII. IN recipiendis virginibus ob flexus infirmitatem summa cautio, ut voluntati integra constet *libertas*. Qui metu vel impellunt nolentes, vel volentes deterrent, in eos excommunicationis fulmen vibrant patres Tridentini¹. Antequam investiuntur & ad professionem admittuntur, a superiore monendus est episcopus, ut vel ipse de vocatione initiandæ judicet, vel presbyterum deleget, qui vel per clathros vel extra clathros, prout usus fert, cum ea colloquatur. Nonnunquam *Episcopus*, sæpe *superior*, plerumque ejus loco *presbyter* virginem velat solemniaque vota ritu singulorum monasteriorum recipit.

quo ritu
recipiuntur,

1) *Seff. 25. Ref. c. 10.*

IX. DIFFERT hæc cærimonia a solemni virginum *consecratione*, quæ fere in desuetudinem abiit, nostra tamen attentione digna, quum ex ea appareat, quo fine religiosarum professionem receperit Ecclesia¹. Solus Episcopus consecrat virgines XXV. annis majores die festo aut saltem dominico, quas singulas privatim interrogat de causa propositi, de statu conscientia, de vita antea: debent enim esse intactæ². Quibus præmissis, monasterio egrediuntur, comitibus duabus anibus cognatione junctis, & Episcopo post prælectam epistolam & graduale missaticum offeruntur ab archipresbytero nomine totius Ecclesiæ, ut benedicantur, consecrentur & Christo desponsentur. Episcopus ter rursus interrogat singulas de proposito sanctissimo; quo facto prosternuntur & Litanæ recitantur. Episcopus

& consecrentur?

benedicit amictui, quem ipsæ induunt; *velum* autem ex ejus manibus accipiunt. Quibus præmittitur oratio de excellentia virginitatis, de conjugii impari sanctitate, de præcipuis virginum virtutibus. Post *velum annulum* porrigit, quo Christo desponsantur, & in signum hujus connubii coronam capiti imponit, precibus intersertis, quibus virginum officia & præmia immortalia celebrantur. Postremo diras imprecatur, virgines hæc vel bona earum violaturis. Hoc ritu peracta est solemnitas illa veterum consecratio virginum, cujus exempla sæculum XIII. adhuc vidit³.

1) *Concil. Mediol. IV. an. 1576. n. 11.*

2) *Pontif. Roman. de consecrat. virg.*

3) THOMASS. *discipl. part. 4. l. 1. c. 60.*

Eremitæ
hodierni.

X. DE *eremitis* paucis dicendum. Hi vero non amplius sunt monachi, diuturno usu vitæ communis subacti, quales veteres illi Anachoretæ; sed homines suoapte ingenio secesum petentes, ubi vel singuli soli, vel bini ac trini instar *monachorum* vivunt. Episcopi est, dispicere, num vera devotione ad hoc vitæ genus impellantur. Nam nequitiam ferendi sunt, qui sola spe impudentissimæ mendicitatis & impunitæ licentiæ in abdita loca rapiuntur: quorum innumera in promptu sunt exempla¹.

1) *Concil. in Trullo c. 41. 42. Concil. Toler. IV. c. 5.*

